

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae  
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

**Calixt, Georg**

**Helmestadii, 1658**

**VD17 VD17 3:303575N**

De deo uno et trino

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128662)



# DE DEO UNO ET TRINO.

## THESIS PRIMA.

**E**sse Ens quoddam primum, summum, quod non dependeat ab alio, verum à quo dependeant omnia alia, hoc est, DEUM: id verò norunt etiam homines extra Ecclesiam, lumine naturæ. Nam *invisibilia Dei jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas.* Unde Irenæus Ethnicos ab ipsâ conditione DEUM didicisse ait. *Ipsa enim conditio, inquit, ostendit eum, qui condidit eam, & ipsa factura suggerit eum, qui eam fecit, & mundus manifestat eum, qui se disposuit.*

Rom. I, 20.

lib. 2. c. 9.

II. Quoniam non reliquit semetipsum sine testimonio, *benefaciens, cœlitus nobis pluvias largiens & tempora frugifera. Neque longè abest ab unoquoque nostrum.* *ἐν αὐτῷ γὰρ ἡμεῖς καὶ οὐροῦ- μῶντα καὶ ἐσθίωμεν.* Quidnì igitur juxta Cyprianum *summa delicti sit, nolle agnoscere, quem ignorare non possis?*

Act. 14, 16.

Act. 17, 28.

de van.  
idol.

III. Scitur itaque non tantum quòd sit DEUS, sed etiam quòd idem sit optimus, sapientissimus, potentissimus. Quod enim omnia (verba sunt Galeni, hominis alioquin Ethnici) *ultrò voluit quanto fieri potuit ornatu concinnare, & nulli horum bonorum invidet, perfectæ bonitatis est demonstratio. Rationem autem invenisse, quâ universa quàm optimè exornarentur, summæ sapientiæ; & quæcumque priùs decreverat,*

3. de VI.  
part.

A

ca

DE DEI

2  
 ea quoque confecisse, ejus potestatis est quæ nullo modo superari possit. Denique quod contineat essentialiter in se totius entitatis plenitudinem & perfectionem; idque modo eminentiore, quàm queat ab ullo intellectu creato concipi aut cogitari.

IV. Non enim hæc insunt tamquam accidentia, ut dicamus in DEO esse *ἄλλο καὶ ἄλλο*, aut ullum accidens sive ab alio accidente sive à substantiâ diversum. Quamquam conceptus nostri ita informari non possunt, ut rem, sicut est, repræsentent. Quod cum intelligeret  
 s. de Trin. Augustinus eleganter dixit: *Intelligamus DEVM, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentiâ creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ullâ mutatione sui mutabilia omnia facientem.*

V. Nulla itaque locum habet compositio accidentalis; neque substantialis; neque quæ est ex actu & potentiâ, aut essentiâ & existentiâ; multò minus materiâ & formâ, genere & specie, specie & differentijs individuandis: quum omnis compositio repugnet perfectioni, primitati, infinitati & independentiæ divinæ.

VI. Relinquitur ergò absolutissima simplicitas & unitas, ut rectè dicamus DEVM unum esse, non autem genere aut specie, sed in simplicissimâ essentiâ unum numero.

VNITAS. VII. Verùm relictis suo loco ijs quæ ductu rationis & luce naturali confici poterant argumentis, ex vernaculo principio nempe Sacrà Scripturâ demonstrabimus UNITATEM Dei; quam non soli Ethnici *τὸ αὐθιγαῖον ἐστὶν ἄδινα καὶ ἄχρονον* impugnarunt, sed etiam non pauci, qui  
 Rom. I, 18. sub

sub tempora nascentis ecclesiæ ab eâ alieni haberi nolebant.

IIIX. Plurima autem sunt sacrarum literarum testimonia, unum DEVM perspicuè inculcantia. Nos sequentia adnotabimus. E Veteri Testamento. Deut. IV, 35. *Dominus ipse est DEVS, & non est alius præter eum.* Deut. VI, 4. *Audi Israël, Iehovah DEVS noster, Iehovah unus est.* Quod repetitur à Christo Mar. XI, 29, & hodie à Iudæis præ cæteris scripturæ dictis unice in precio habetur. Item Deut. XXXII, 39. I Sam. II, 2. Ps. LXIX, 32. XXCVI, 10. Ies. XLIII, 10. XLIV, 6. XLV, 5. E Novo Testamento. I Cor. IIX, 4. *Nullus est DEVS, nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicantur DI sive in cælo sive in terrâ: siquidem sunt DI multi & Domini multi;* (nempe vel per adsimilationem quamdam, sic Moseh dicitur DEUS Aharonis Ex. IV, 16. Parhonis Ex. VII, 1. vel ratione officij, ut Magistratus & Principes Ex. XXI, 6. XXII, 8 & 28. Ps. LXXXII, 1 & 6. vel ex opinione hominum, ut idola) *nobis tamen, ait Apostolus, unus DEVS Pater, ex quo omnia & nos in illum.* Eph. IV, 6. *Vnus DEVS & Pater omnium.* I. Tim. II, 5. *Vnus DEVS, unus etiam mediator Dei & hominum.*

IX. Fundamenta hæc monstranda fuerunt adversus superstitiones gentilium & hominum extra ecclesiam, qui turbam Deorum colebant; nec non adversus eos, quos Satanas è medio ecclesiæ ad primum hunc fidei nostræ articulum impugnandum & obfusandum excitârat. Neque enim aliò spectare videntur portenta dogmatum, quæ confinxere post Menandrum Samaritam Simonis Magi, ut vult Epiphanius, discipulum Saturninus Antiochenus & Basilides Alexandrinus. Vide Iren. *l. I. c. XXI. & seq.* Euseb. *l. IV. hist. c. VII.* Philastrii *cat. hæret.* August. *de hæresibus, Epiphani. lib. I. tom. II.* Theodoretum *lib. I. hæret. fab. Niceph. l. IV. hist. c. II.*

X. Iisdem cum illis temporibus nempe circa imperium Hadriani Carpocratem vixisse scribit ex Irenæo Eusebius, & parentem ac auctorem existisse Gnosticorum; qui propter scientiæ excellentiam sic adpellari volebant, teste Augustino; & in decem differentes sectas distrahebantur, teste Epiphanio, certatimque alius super alium impietates & absurditates cumulabant. Carpocratis filius fuit Epiphanes, & hujus successor Prodicus: è quorum fabulis acceptâ occasione infinitas commentus est Valentinus imperante Antonino Pio. Duo statuebat rerum principia, quorum alterum *βασις* vocabat, alterum *συνω*, & hinc triginta *εἰσόδους* producebat, ut narrat Augustinus. Tertullianus autem in hunc modum: *Apud Valentinum Eon ille nescio qui novus & non unius nominis generat è suâ Charite Sensum & Veritatem: & hi æquè procreant duos, Sermonem & Vitam. Dehinc & isti generant Hominem & Ecclesiam: de quâ primâ ogdoade Eonum X alij & XII reliqui miris nominibus oriuntur in meram fabulam XXX Eonum, Valentini nœnias vel auctas vel parum immutatas amplexi sunt Secundus successor ejus, Marcus, Colorbasij, Barbeliotæ, Peratæ, Heracleonitæ, Hermogenes, contra quem librum scripsit Tertullianus; ut & alium universum contra Valentinianos: adversus quos & Gnosticos omnes, V quoque Irenæi libri supersunt. Eos, & auctores quos suprâ citavi, qui plura cognoscere volet, consulat.*

Euf. l. 4.  
cap. 10.

XI. Cerdo coartaneus Valentini fuit, quippe Antonino Imperatore & Hygino Episcopo docere cepit alium esse DEUM patrem Iesu Christi, alium conditorem universi: & hunc quidem cognitum, illum ignotum; hunc justum & severum, illum bonum & benignum. Cerdo-

nis

nis discipulus fuit Marcion, qui eò usque impietatis progressus est, ut unum DEUM bonum diceret, alterum malum; quibus alij juxta Origenem & Epiphanium adjungere etiam tertium, quem justum dicebant. Tertulliani V. adversus Marcionem libri adhuc exstant: & Origenis tres dialogi contra Marcionitas, Marcum, Megethium aliosque. Ipsi in varias sectas sententiasque (ut inter tales fieri necesse) dissecti nominantur ab auctoribus citatis, Apelles, Lucianus, Severus, Synerus, Potitus, Prepon, Pithon.

XII. Ex eadem hac scholâ prodijisse videtur Manes Persa, qui imperante Probo circa A.C. cclxxx. originem dedit hæresi multum terrarum postea pervagatæ. Dixit duos esse pariter æternos & ingenitos, Deum & Materiam: & Deum lucem, Materiam vocabat tenebras, atque has malas, illam dicebat esse bonam. Augustinus totam hæresin aliquot libris solidè refutavit. Eam posteris temporibus imperante Friderico II. resuscitarunt Albigeneses, si verum est quod ab ejus ætatis scriptoribus memoriæ proditum fuit; atque hos cum Albanis, Baiolensibus & Concordensibus eosdem esse censent Centuriatores, cent. 13. 45. licet à nonnemine in seculum à nato Christo octavum rejectis. Horum autem omnium dogma *quod procul à verâ quàm sit ratione repulsum* immò à sacrâ Scripturâ, unicâ doctrinæ & morum regulâ, jam à nobis breviter ostensum fuit. Nunc postquam probavimus DEUM opt. max. in simplicissimâ essentiâ unum esse, proximum erit ut eundem trinum in personis pro ratione instituti, si non prolixè, attamen solidè demonstremus.

XIII. Atque hoc est mysterium, quod superat humanam rationem, quæ nulla ei probando argumenta sup-

peditare valet. Nam quæ ratio de DEO demonstrat, ex effectibus & creaturis desumit. Hoc igitur solum de DEO demonstrare poterit, quod ei quatenus ab ipso creaturæ dependent, competit. At opera ad extra quum sint indivisa, & emânent ab unâ virtute sive potentiâ, neque nos ducent nisi ad eam quam diximus, unitatem.

XIV. Vestigium quidem & Imaginem Trinitatis in creaturis posuit Magister sententiarum, & eum sequuti Scholastici: & vestigium esse dicunt imperfectiorem similitudinem, idque in omnibus creaturis reperiri; imaginem autem esse perfectiorem, & inveniri in solâ animâ, *natam ducere*, ut ipsorum verbis utar, *in cognitionem recordativam distinctionis personarum & unitatis essentiæ cum quadam sui imitatione*. Verum quum semper plus sit dissimilitudinis quàm similitudinis, nulla potest fieri illatio: immò nemo in rebus creatis vestigium aut imaginem esse umquam cognovisset, nisi prius habitâ aliunde revelatione ita ratiocinatus fuisset. Rectè itaque Bonaventura:

*Dicendum quod pluralitas personarum cum unitate essentiæ est proprium divinæ naturæ solius, cuius simile nec reperitur in creaturâ, nec potest reperiri, nec rationabiliter cogitari: ideo nullo modo trinitas personarum est cognoscibilis per creaturam, rationabiliter ascendendo à creaturâ in DEVM.*

XV. Rectissimè etiam hinc colligit Thomas, dupliciter peccare eos, qui rationibus naturalibus persuadere conantur. Primò contra dignitatem articulorum fidei, qui non sint metiendi decempedâ rationis. Secundò quia alios à fide magis deterrent quàm alliciunt. *Cum enim, inquit, aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quòd huiusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.*

Quæ

*Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probare, nisi per auctoritates his qui auctoritates suscipiunt. Apud alios verò sufficit defendere, non esse impossibile quod prædicat fides.*

XVI. Rectissimè quoque postremum istud monuit, quod in hac totâ & multis alijs disputationibus observandum, nempe sic mysteria superare captum humanæ rationis, ut quemadmodum veritatem eorum & sublimitatem humana ratio adsequi nequit, ita neque ullam in illis falsitatem deprehendere valeat: atque adeò argumenta omnia quæ contra illa fiant, tamquam infirma & fallacia dissolvi posse, & à Theologiæ consultis dissolvi debere. *Si enim ratio, ait Augustinus, contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest.*

Ep. 7. ad  
Marcellinum.

XVII. Nunc autem ut ipsam veritatem ex sacris literis demonstramus, operam dabimus, ubi prius quædam vocabula, quæ in hujus mysterij enarratione adhibere oportet, explicaverimus; cujusmodi sunt, ESSENTIA, PERSONA &c. Ubi monemus verè quidem ac propriè harum vocum significationes tribui summæ ac infinitæ isti majestati: non tamen isto modo secundum quem creata res essentia est aut persona, distincteque & perfectè per hæc vocabula significatur: sed quia infinitè sublimiùs præstat & continet, quidquid est in propriâ ratione rei creatæ, ut his vocabulis significetur.

XIIX. ESSENTIA sive *ὄντα* deducitur ab ipso esse, atque est forma & natura quædam totalis, communicabilis. Epiphanius rectè dicit: *Essentiæ nomen nudo modo in Veteri & Novo Testamento non habetur: sensus autem ac significatio ubique habetur.* Nempe habetur *θεῖος* Rom. I, 19. *μορφή τῆς θεῶ* Philipp. II, 6. quæ æquivalent.

ESSENTIA

l. 3. tom. I.  
hæc. 73.

XIX. Opti-



XIX. Optimè autem essentia de DEO enunciat-  
tur, quoniam ipse ens est simplicissimum, summè neces-  
sarium, in quo nec ratione distinguere possis esse & es-  
sentiam, sive ipsum esse & esse posse.

XX. Et quia hujusmodi est Ens, proprio sibi que  
peculiari nomine adpellari voluit Iehovah, quod descen-  
dit à radice ויהוה sive יהוה, ut significet se tale esse Ens,  
quod sit sua entitas, eamque non aliunde habeat,  
sed ab ipso cetera omnia. Atque hinc quærenti  
Mosi, quodnam nomen ejus esset, respondit אהיה אהיה  
Ex 3, 14. *Ero qui ero*: sive ut LXX interpretati sunt; *ἐγώ εἰμι ὁ ὢν*:  
ut habet vulgata Latina: *Ego sum qui sum*. Quòd  
autem nomen Iehovah DEI proprium sit, nec ulli præ-  
tereà communicari possit aut debeat, testantur ista loca.  
Ex. xv, 3. Ies. xlii, 8. Hof. xii, 5. Hamos v, 8. Sunt alia octo,  
quibus præter hæc duo in sacris literis DEUS nominibus  
adpellatur, recensente Hieronymo: El, Elohim, Eloah,  
Ep. ad Marcellam. Sabaoth, Helion, Adonai, Sadai, Iah. Vide auctorem.  
Nihil porrò addimus de divinis nominibus, tantùm mo-  
nemus coginos loqui de DEO nostro quodam modo, quia  
aliter non possumus: atque ideo concretis uti, ad signifi-  
candum DEUM, ut quid perfectum & subsistens; ab-  
stractis autem ad denotandam purissimam simplicitatem.

## PERSONA.

1. de duab.  
nat.

XXI. Explicato vocabulo Essentiæ, sequitur PER-  
SONA. Ea secundum Boëthium est rationalis naturæ indi-  
vidua substantia. Suppositum latius patet, & dicitur de  
quocumque quod potest esse subjectum in propositione  
adfirmante. Individuum dicit etiam naturam singula-  
rem, ut oppositam universali: alio autem modo signi-  
ficat singulare determinatum in seipso non in alio subsi-  
stens, quodque adeò habeat terminum suum ultimum  
substan.

substantialem, per quem fiat incommunicabile; atque hoc vocatur in naturâ intelligente Persona. Definitioni itaque Boëthianæ rectè addatur: *individua & incommunicabilis substantia.*

XXII. Hinc manifestum est, quomodo differant Essentia & Persona: & quid hæc illi superaddat, nempe non novum aliquem actum essendi, sed saltem modum essendi, & per se subsistendi, ratione cujusdam proprietatis & relationis, fundatæ super istâ personâ, per quam ipsa ab aliâ distinguatur. Nam si solus Filius est genitus, proprium est Filio gigni: si solus Pater gignit, proprium & huic est gignere: si solus Spiritus procedit, proprium & ipsi erit procedere. Similiter si Filius est veri Patris verus Filius, verâ certè erit inter Patrem & Filium relatio. Sunt igitur veræ divinarum personarum proprietates & relationes.

XXIII. Hæc Magnus Basilius vocat notas & characteres in communi essentiæ idemitate personarum distinctionem ostendentes: Augustinus Notiones adpellat, quo vocabulo deinde usi sunt Scholastici Doctores. Est igitur Notio in divinis nihil aliud, quàm ratio, per quam innotescit divina persona, ejusque à ceteris personis distinctio. Innotescit autem, vel quia est à quo alius, vel quia est qui ab alio. Hæc enim duo pertinent ad origines, quibus multiplicantur personæ. Pater verò non innotescit ut qui ab alio, sed quum sit primum principium, potiùs ut tale innotescit per hoc quod à nullo est; id notat *Innascibilitas*: quatenus autem ab ipso alius est, innotescit per *Paternitatem & Spirationem*. Deinde Filius est, & à quo alius; & sic per *Spirationem*: & qui ab alio; & sic per *Filiationem* innotescit. Denique Spiritus san-

l. 2. cont.

Eünom.

l. 5. de Trin.

c. 6.

Etus tantum est, qui ab alio, quod per *Processionem* significatur. Quinque igitur in univ[er]sum sunt notiones, e quibus quatuor tantummodo sunt relationes, & quatuor proprietates.

XXIV. Haecenus de Personâ; quam Græci *πρόσωπον* dicunt: idque vocabulum in hac re usurparunt Iustinus, Athanasius, Nazianzenus & alij Græci: Latinum Latini omnes. *ἡ πρόσωπις* quidem suâ vi essentiam quoq; denotat: verum usus obrinuit, ut huic negotio non nisi pro personâ adhibeatur. Quin imò Epistola ad Hebræos ita videtur accipere, quando inquit: *ὅτι ὁν ἡ ἀρχὴ τῆς ἰσοτιμίας αὐτοῦ.* Vbi *ἡ πρόσωπις* pro personâ accipit Theophylactus. Illius enim Filius est imago, cujus est Filius.

XXV. Hisce ita explicatis reliquum est, ut illam in unitate essentiae personarum pluralitatem & quidem distinctè trinitatem ex sacrâ Scripturâ demonstremus.

XXVI. Primùm refero huc loca, quibus DEUS verba facit de se in numero multitudinis. Ea autem IV sunt. Gen. I, 26. III, 22. XI, 7. Jes. VI, 8. Nec video quomodo effugere possint Judæi, quum non sit phrasis linguæ ad auctoritatem & majestatem loquentis referenda. Neque enim simile repperint in alijs etiamsi magnificè loquentibus. Vide Theodoretum *quest. in Gen. XIX.* Ambrosium *lib. VI. Hexaem. c. VII.*

XXVII. Illud autem כָּרַם אֱלֹהִים facile eluserint. Nam אֱלֹהִים de Mose etiam dicitur. Et de Abrahamo Gen. XXIV, 9. nec non de quovis alio Ex. XXI, 6. Jes. XIX, 4. enunciatur nomen pluralis numeri. Neque verò isti cum verbo singulari pluralis nominis conjunctioni fidere possumus, quum similem de Josepho usurpatam videamus, Gen. XLII, 30. item loco jam citato Ex. XXI, 6.

Quin

Quin imò de falsis DIs, Ex. xx, 3. Adde quòd primus Lombardus hunc locum probandæ pluralitati personarum adhibuerit, nemo ante ipsum, nec Hieronymus nec Origenes, uterque alioquin Hebraicè doctissimi, & harum rerum curiosissimi. Quid? quod Gen. xx, 13. xxxv, 7. Elohim jungatur verbo plurali. Quod si singulare denotat unitatem essentiæ, quidnè ejusdem diverfitatem insinua-bit plurale?

XXIIX. Neque ausim pro argumento obtrudere locum, *Pluit Jehovah à Jehovah.* Cui similes, quibus Deus de Deo tamquam alià personâ loquens introducit, quales sunt Ex. xxxiii, 19. Hof. I, 7. Zachar. III, 2. Nam promptum fuerit regerere, esse idiotismum, ut hunc: *Tum congregavit Selomoh seniores Israël & omnes principes tribuum ad regem Selomoh in Jerusalem:* ubi nihil minus quàm aliud à Selomone Selomoh intelligatur. Sic quoque Lemech suas ipsius uxores adfarur: *Audite vocem meam uxores Lemech.* Et si non ignoro, Patres omnes isthoc loco usos fuisse: & Concilium Syrmienfe (de cujus fide tamen vide Socratem & Sozomenum) anathema minitari, *Si quis illud non de Patre & Filio accipiat, sed ipsum Patrem à se pluisse dicat. Pluit namque Dominus Filius à Domino Patre.* Hoc quidem qui negat, meritò anathema esto: non autem, si hoc quis ex illo loco disertè probari posse neget. Quamobrem Hilarius hunc canonem rectè restringit & explicat, quando dicit: *Hæc quia Photinus, adversum quem tunc conventum erat, negabat, inferenda fidei fuerunt, ne quis auderet non ante Dei filium, quàm virginis filium prædicare, &c.*

XXIX. Sed pergo huc secundò referre ternariam nominis divini iterationem, scripturis usitatam, quæ certè τριλογία cenferi nequit. Vide Num. vi, ver. 24, 25, 26.

1. dist. 2. B

Gen 19, 24

1. Reg. 8, 1.

Gen. 4, 23.

1. 2. c. 25.

1. 4. c. 5.

1. de Syno-  
dis.

TRINITAS

Pfal. LXVII, 7. Jef. XXXIII, 22. Celeberrimum illud <sup>79102708</sup> habetur Jef. VI, 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehovah Sebaoth: quod de Patre & Filio & Spiritu ipsi Rabbini Judæorum Simeon Ben Iohai & Ionathan Chaldæus paraphrastes exponunt, testibus Galatino & Mornæo. Ne verò quin ita accipi debeat, dubitetur, nominatim adplicatur Filio, Ioan. XII, 41: & Spiritui Sancto, Act. XXIIX, 25.*

XXX. Tertio loco patefactiones adduco, quibus se trinum Deus manifestavit. Gen. XIIX. *Visus est Abraham Jehovah in quercubus Mambre. Et ipse sedebat in ostio tabernaculi, cum incalesceret dies. Et elevavit oculos suos, & vidit; & ecce tres viri stabant juxta eum. Ipsi autem loquuntur, nunc ut unus, mox ut plures. Vide obscuro, vide, inquit Cyrillus, tres quidem fuisse qui adparuerunt, sed substitisse in proprijs essentis singulos, sermone consubstantialitatis in unum comprehensos, & ita dedita operâ colloquia inter se miscuisse. Abraham quoque eos nunc ut plures, nunc ut unum alloquitur & adorat. Tres videt, ait Augustinus, & non Dominos, sed Dominum adpellat, quoniam trinitas tres quidem personæ, sed unus Dominus Deus. Et alio loco: Cum tres viri visi sunt, nec quisquam in eis vel formâ, vel ætate, vel potestate major cæteris dictus est, cur non hîc accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis unam eandemque substantiam? Eodem modo exponunt Athanasius de S. Trinitate dial. III. & Chrysostomus hom. XLI. in Gen. Veruntamen rectè Cyrillus superiùs à nobis adlegatis verbis subjungit: *Ejusmodi imagines obscuræ sunt, & veritatem non satis exprimentes; sive evincentes. Nam Novo Testamento plena & perfecta tanti mysterij patefactio reservata in Baptismo Christi clarè & perspicuè revelata fuit. Filius Dei à Joanne aquâ Iordanis bapti-**

14. cont. Iu-  
lian.

1. 3. cont.  
Maximin.  
c. 26.  
2. de Trin.  
c. 41.

baptizatur: Spiritus Sanctus cœlitus instar columbæ adparet: Pater magnificâ voce testatur, hunc suum esse Filium, cujus nos dictis velit obedientes esse.

XXXI. Quartò manifesta sunt testimonia, quibus nomine tenus tres personæ exprimuntur, ut Psal. xxxi. i. i. versiculo 6, qui unus compendium est totius historiæ de creatione à Moseh enarratæ: *Verbo Jehovah cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Novi autem fœderis testimonianon tantùm insinuant, inclinant, aut persvadent: verùm cogunt & demonstrant. Joh. xv. 26. ii Cor. ult. v. ult. Gal. IV, 6. Eph. II, 18. III, 14. Matth. c. ultimo disertè jubemur baptizari æquè in nomen Filij & Spiritus sancti, ac in nomen Patris. Filius itaque æquè Deus est, & Spiritus Sanctus, ac Pater. Tres igitur sunt in unitate essentiæ divinitatis personæ. De quâ trinunitate ecce evidentissimè dictum 1 Joan. v, 7. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum & Sanctus Spiritus: & hi tres unum sunt.*

XXXII. Quinctò. Unitatem essentiæ divinæ suprâ luculenter demonstravimus. Nunc autem & Pater est Deus, Deus Israël & Deus Sebaoth: Et Filius æquè Deus est: Et Spiritus Sanctus. Sunt igitur unius essentiæ tres distinctæ Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. De Patre, quòd verus Deus sit, communis est consensus, neque quisquam adversariorum unquam negavit. De Filio & Spiritu Sancto, eo volente & favente, futurâ disputatione ex iisdem principijs demonstrabitur. Hâc autem ita Divinitatis essentiæ unitas & Personarum trinitas ostensa & defensa esto.